EPIPHANUS / CASSIODORUS
um 1170/1180 Seite 60r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Nunc ergo de alia sinodo quam uelut
ad instar ariminensis concilii in
oriente constantius imperator fieri
iusserat. pauca narrabo. Egit enim
primitus ut in nicomedia bithinie
congregarentur episcopi. quorum conuentum
prohibuit maximus terre motus.
Hoc enim contigit consulatu traciani
et cerealis. octaua die mensis aug-
usti. Tractabant ergo transponere synodum
in uicinam niceam ciuitatem. Quod dum
displicuisset. rursus uolebant. in
tharso cilicie conuenire. Deinde pla-
cuit apud seleucam isaurie que vo-
catur aspera celebrari concilium. quod actum est
consulatu eusebii et thipatii. Fuerunt
qui conuenerunt numero c. lx. cum quibus
aderat unus in palatio clarus nomine
leonas. Quo presente questionem fi-
dei proponendam imperatoris iubebat
oraculum. simulque preceptum fuerat
ad ecclesiam lauricium militum isaurie
ducem. ut in quo opus esset episcopis
ministraret. Conuenerunt ergo uicesi-
ma septima die septembris mensis.
et sub gestorum confectione disputabant.
Aderant enim exceptores utriusque
partis uerba signantes. que sub uno
apud sabinum collecta reperiuntur.
nos hic capitulatim ista descripsimus.
Prima siquidem die leonas iussit.
ut que uiderentur unicuique proponerent.
Porro qui presentes erant non prius
dixerunt quamlibet mouendam esse
questionem. nisi reliqui conuenirent.
Erant autem absentes episcopi. macedonius
constantinopolitanus. basilius ancyre
et alii quidam accusari timentes.
Et macedonius quidem languorem
finxit. patrofilus oculorum dolorem.
et alii similes adinuenerunt occasiones
absentie. Dumque leonas etiam ipsis
absentibus proponendam diceret questio-
nem. rursus aiebant. episcopi. non aliter
quicquam fieri. nisi impetitorum uita
discuteretur. Accusati namque iam fuerunt.
cyrillus hierosolimorum eustatius sebas-
tie armenie. et alii quidam. Ob quam rem.
contentio inter presentes exorta est.
Alii namque dicebant uitas accu-
satorum discutiendas. alii uero ante
fidem nichil esse querendum. Mouebat-
que questionem imperatoris diuersa
sententia. cuius litteris nec de fide
prius agendum. nec de accusatorum conuer-
satione legebatur. Hec causa pre-
sentes ad scisma perduxit. et in duas
partes synodi multitudo diuisa est.
Unius enim partis dux erat aca-
tius cesarie palestine. georgius
alexandrie. ursatius tyri. eudoxius
anthiocie quos alii xxx. ii. secuti sunt.
In alia parte fuit georgius laodicie
syrie sophronius pompeio poleos pa-
flagonie eleusius quizici quos plu-
rimi sequebantur. Cumque placuisset
ut prius de fide questio moueretur.
hi quidem qui erant partis acatii
nicenam fidem aperte negauerunt.
aliamque fidem dictare nitebantur.
Alterius uero partis numero pluri-
ores. omnia quidem niceni concilii
receperunt. de sermone substantialitatis
tantummodo querebantur. Multis ergo inter
alterutros contentionibus usque ad
uesperam generatis. nouissime sil-
uanus tharsensis presul ecclesie voce
magna clamauit dicens. non oportere